



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo S. Jacobi Majoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

IN FESTO
S. JACOBI MAJORIS.

I.

Dicunt ei: possumus. Matth. 20.

Sic amaverunt Christum Joannes & Jacobus, ut, si modò proximi ei semper adherere possent, nihil difficultatis refugiendum putarent. Interroganti, num possint bibere calicem passionis suæ, expeditè respondent: possumus. Hæc est Christianæ fortitudinis indoles, ut prompta sit ad suscipiendos quosvis labores, & tolerandos quosvis dolores. *Men- se IX. Diss. 247. pag. 33.*

2.

Nescitis, quid petatis. Matth. 20.

Laudabilis fuit matris hujus petitio, non ex vana ambitione, sed pia in Christum fiducia procedens, maximè cum ejus filii etiam sanguinis cognatione Christum contingerent, ac præterea uterque summâ vitæ innocentiam polleret. Sed tamen ut intempestivum desiderium castigaret, & ex animis nostris omnem superbiendi appetitum tolleret, dixit: *Nescitis, quid petatis.* Verè enim nescit superbus, quid petat, dum excellere supra cæteros postulat. Superbia noxium omnino peccatum est, quia
radix

radix & caput omnium peccatorum. *Mense V.*
Disc. 151. pag. 600.

3.

Nescitis, quid petatis. Matth. 20.

Semper Christus superbiæ restitit: nunc quidem, dum immaturam Jacobi & Joannis petitionem redarguit: aliàs cum discipulos inter se contendentes, quis eorum videretur esse major, ad humilitatem traduxit: iterum cum dixit: qui se exaltat, humiliabitur; ac tandem, cum ipse discipulorum pedes lavit. Voluit verbis & exemplis docere, inexcusabilem esse superbiam, cum nihil profit, plurimum noceat, ac facillimè possit ab homine evitari.
Mense V. Disc. 152. pag. 618.

4.

Dic ut sedeant. Matth. 20.

De quieta sessione cogitat mater: at Christus petitionem refellens non de quiete, sed labore loquitur ac passione: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Laboriosus ac patiens sit oportet, qui Christi se discipulum se profitetur. Quare longissimè abest à sequela Christi, qui otium amat. Detestemur accidiam, cujus nec radix bona est, nec fructus.
Mense VI. Disc. 161. pag. 149.

IN